



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 224. Et latrones vnum à dextris alterum à finistris. v. 33.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

mi aduersarij extinguantur. Tu verum defensionis armamentarium, turrei  
 Dauidica præfiguratum, vbi pendent mille clipei tantæ soliditatis, vt nullo  
 mundi aut carnis iaculo penetrari possint. Tu Virga quæ nos maiori mita-  
 culo ad gloriam cœlestem, quam illa Moysis populum Hebreum per de-  
 sertum Sin deducis, quæque melius naturam nostram aridam & languen-  
 tem in desertis peccati & salutis siticulosam reficit & instauras, quam illa  
 Mosaica, percutiens Petrum. Tu illa es in qua Saluator brachia extendens  
 profundum illud mare rubrum damnationis nostræ atefecit, ab illos pec-  
 cati ad iustitiam exæquauit, adeoque tenebras erroris illustrauit, vt lenita  
 à terris ad cœlum (sine te inaccessibilis penitusq; antehac incognita) com-  
 planata modo, facilis & aperta percurratur. Tibi merito accinit Ecclesia,  
 Ô Crux aue, spes vnica, auge pijs iustitiam, reisque dona veniam.  
 Amen.

§.224. Et latrones vnum à dextris alterum à sinistris. v.33.

Latronum autem, nomina tradunt quidam fuisse hæc, Dismas & Gil-  
 mas: sed nomina aptiora attribuit illis sacra scriptura; ista vocat duos  
*quam latrones*, &c. Sed cur vnus à dextris alter à sinistris appensus est: vtique  
 quia Deus hoc elegit permittere, quod erat grauius Christo, & nobis simul  
 vtilius. Graue fuisse in medio duorum latronum suspendi, & in medio  
 duorum nequam, accipere locum supplicij satis patet. ita vero fieri nobis  
 vtile fuisse patebit, si se quilibet consideret; indies habere, quæ pati cogi-  
 tur, & vel cum patientia spiritus vel impatientia se ferre agnoscat; si cruci  
 affixus fers patienter propter Domini ordinationem, iam à dextris Domi-  
 ni crucifixus es cum Domino; si impatienter: à sinistris Domini es cruci-  
 fixus, an non ad hoc significandum tibi vtile fuit, te tibi ante oculos suos,  
 tam crasso caractere depingi?

Domine Iesu gratias ago tibi, quod pro meo bono inter duos latrones  
 crucifigi voluisti, valde inde proficio, siue æquo animo & sano, siue  
 præuaricante seram cruces meas. Tu Deus Angelorum mediator & homi-  
 num, qui pro nimio erga nos pietatis ardore, inter duos latrones in cruce  
 pendere non erubuisti; respice super hanc familiam tuam, nosque à maligno-  
 rum fortibus erutos, tibi que in cruce confixos; inter choros cœlestium  
 iubeas aggregari. Adimple & illud in me, bone Magister, in quo mihi spem  
 dedisti, cum diceres, cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum, tra-  
 he me Domine, confige me tibi, vt totus mihi figaris in corde, qui pro me  
 totus fuisti fixus in cruce.